



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

214. An post decretum Clem. VIII. detur casus, in quo superiores Regularium possint uti notitia habita in confessione subditorum? Et an si Confessarius scit ex notitia habita in Confessione, quod ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

degeni: possit hic tuta conscientia remanere? Et respondet: quod peccaret quidem Prælati, & esset arbitrio sui Superioris puniendus; (ubi enim lex non apponit penam contra facientibus, videtur iudici arbitraria; vt dicitur in cap. Nihil de Elect.) quia contrafecit statuto Papæ: sed subditus potest tuta conscientia permanere; tum quia hic valet illa regula: Multa fieri prohibentur, quatenus facta tenent, nam Decretum non annullat licentias contra ipsum datas. Vnde videtur solum velle Superioribus timorem incutere, ne sint nimis faciles in talibus licentiis concedendis; tum quia lex de nouo statuta à Principe non derogat priuilegijs positis, & inferis in corpore iuris communis, etiam positis quibuscumque circumstantiis, & causulis generalibus; nisi faciat de illis specialem mentionem, vt ait Bartolus, citatus à Miranda tom. 1. Manualis Pral. quest. 45. art. 6. & glossa in leg. 2. Legati ff. de re iudicata. & probat Bonacina multos allegans, de Censur. disp. 2. q. 6. punct. 2. n. 1. Sed posse Prælatos concedere tales licentias priuilegium esse inferum in corpore iuris communis, vt patet ex c. Pastoralis 2. q. 7. c. Placuit. 1. c. 2. c. Monachi 1. c. 2. 1. 6. q. 1. Ergo, &c. Hæc Peyrinus. Sed tu cogita.

Nota hic obiter, quod ante dicta Decreta Pontificia asserbat Rodriguez in Q. Q. Regul. tom. 3. q. 5. 3. art. 5. posse Generalem facere facultatem Fratri alicui in quieto, & insolenti, qui propter suam delicta condemnatus fuit ad tirenes, & ab his postea restitutus, vt possit Eremiticam regulariter vitam ducere, vel in aliquo Hospitali vel Ecclesia, præstita per eum obedientia Ordinario loci, seu Generali ipsi. Ita etiam consilium Nauar. lib. 3. cons. de Reg. cons. 7. 4. Et ratio est, quia cum iste talis sit naturaliter inquietus, & insolens si aliqui Fratrum ei improperauerint sua delicta, non de facili eos si stineat; & erit nouissimus error prior, & hanc etiam sententiam docuerat etiam Peyrinus loco citato. Sed circa illam, etiam stando in iure communi secluso Decreto Clem. VIII. Ego maximam habere difficultatem: vnde relect. doctus Pater Gibalinus ubi supra de Clausura, disp. 2. cap. 4. §. 1. 4. cons. 2. n. 7. 3. non audeat hanc sententiam Peyrini, Nauar. & Rodriguez penitus approbare, sed aliorum sensum exposcit.

RESOL. CCXIII.

An in aliquo casu possint Superiores Regularium vti scientia habita in confessione, non obstante Decreto Clem. VIII. & an dictum Decretum obliget sub mortalibus? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 202.

§. 1. Affirmatiuè respondet Guillelmus Mercerus de Sacrament. in 3. p. D. Thomæ quest. 1. art. 5. dubit. 2. concl. 2. vbi sic ait: Clem. VIII. in decreto de casibus reservatis, edito pro religiosis, sic habet: Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant ne ea noticia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad externam gubernationem vtantur.

2. Notandum tamen est, hanc prohibitionem esse iuris humani, propullare autem periculum à Republica, vel à proximo absque nostro incommodo, & violatione secreti, esse iuris diuini & ideo posse fieri, vt quis teneatur hac scientia vti ad malum auerterendum, præsertim cum sit sententia probabilis, quæ habet id posse fieri, & nullum ius humanum possit impedire, ne quis in necessitate vtatur sententia probabilis. Nec putandum est Pontificis constitutionem agere de huiusmodi casibus extraordinariis, qui in domibus Religiosis rarissimi inveniuntur. Ita Tom. VII.

Mercerus; sed an probabiliter, tibi iudicandum relinquo.

3. Notandum est etiam hic obiter, in supradicto decreto latum esse præceptum cum verbis imperatiuis, quæ non obligare sub mortali docuit Caiet in 2. 2. quest. 166. art. 9. Rodriq. in addit. ad Bullam Cruciatæ. §. 9. n. 77. & alij. Sed hæc opinio mihi non placet, & ideo puto cum Castro Palao rom. 1. tr. 3. disp. 1. punct. 9. num. 3. supradicta verba decreti obligare sub præcepto peccati mortalis.

Sup. hæc in tom. 4. tr. 4. Ref. 1. §. Sed difficultas: ad medium à Verf. In quibus.

RESOL. CCXIV.

An post Decretum Clem. VIII. detur casus, in quo Superiores Regularium possint vti noticia habita in confessione subditorum?

Et an si confessarius scit ex noticia habita in confessione, quod quadam mulier Nobilis quando vocat Confessarios in domum suam ad confitendum sapum illos sollicitat; queritur an ab ipsa vocatus possit se excusare propter periculum labendi in peccatum licet nullam habeat idoneam excusationem? Ex p. 1. tr. 5. & Misc. Ref. 15.

§. 1. Affirmatiuè respondet Lessius in 3. part. D. Thom. q. 11. de sigillo confessionis art. 1. dub. 2. n. 6. à me alibi adductus: cui nunc addo Guillelmum Mercerum in Supplement. 3. part. q. 1. art. 5. n. 2. vbi sic ait: Superiorem qui confessionem subditi audiuit, non posse ex vi illius, ita ipsum gubernare, verb. gr. auferendo illi officium quo fungitur, vt alij possint suspicari eius peccatum in genere, vel in specie. Ratio est, quia & sic esset indirecta reuelatio. Addunt Richardus, & Angelus idem fore illicitum, etiam si solus pœnitens intelligat se priuari ministerio ratione si a confessionis, quia si non licet pœnitentem à confessione peracta verbis corripere: ergo nec factis. Et non est dubium quin ita plerumque expediat in praxi. Idem Clemens VIII. in Decreto de casibus reservatis edito pro Religiosis sic habet: Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant ne ea noticia quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad externam gubernationem vtantur.

Sup. hoc in Ref. præterita & in alijs eius primæ not.

2. Notandum tamen est, hanc prohibitionem esse iuris humani, propullare autem periculum à Republica, vel à proximo absque nostro incommodo, & violatione secreti, esse iuris diuini, & ideo posse fieri, vt quis teneatur hac scientia vti ad malum auerterendum, præsertim cum sit sententia probabilis, quæ habet id posse fieri, & nullum ius humanum possit impedire, ne quis in necessitate vtatur sententia probabilis. Nec putandum est Pontificis constitutionem agere de huiusmodi casibus extraordinariis, qui in domibus Religiosis rarissimi inveniuntur. Ita Tom. VII.

3. Sed circa præsentem casum, & doctrinam habeo maximam difficultatem; nam vt optime obseruat Dicastillus de Sacrament. tom. 2. tract. 8. disp. 1. 2. dub. 7. numer. 14. Decretum Clementis VIII. manifestè

nifestè excludit omnem casum; itavt Regularis nullo modo in aliquo casu possit vti scientia. Lex autem cum tanta amplitudine non possit esse iusta, nisi Pontifex supponeret non esse illum vsum licitum ex natura rei: nam si ex natura rei liceret in aliquo casu, posset esse casus in quo non solum liceret, sed teneretur confessarius vti ea notitia ex præcepto naturali, vt quando ex confessione sciret aliquem esse indignum prælatura, teneretur ex vi talis notitiæ illum non eligere, quia eligere indignum est intrinsecè malum, & scit esse indignum notitia, qua ex natura rei licet vti, atque adeo non posset Pontifex prohibere ne illa vtatur. Item si Prælatus sciret ex confessione aliquem non esse Sacerdotem, & ex natura rei, & generali præcepto Christi non esset illicitum vti ea notitia, deberet illum non designare in confessarium suorum subditorum, ne illi irritas facerent confessiones, & tamen, (vt supponimus) etiam in hoc casu, & similibus prohibet Pontifex (quia omnes casus excludit) vti tali scientia: Signum ergo est, quod hæc obligatio non vtendi notitia sit ex natura rei, supposita institutione huius Sacramenti. Et id censetur supponere Pontifex, alioquin non posset tale præceptum imponere. Quod si hoc habet ex natura rei, non solum pro regularibus, sed pro omnibus debet habere locum, & nullus confessarius poterit ea notitia vti. Et his omnibus consentit Eminentissimus Dominus meus Cardinal. Lugo de Sacrament. penitent. disputat. 23. num. 94. disputans contra Suarium, qui concedens alioqui non licere iam post illud decretum vti scientia confessionis, totam vim ponit in positiva lege Papæ, quia id prohibuit, non in natura rei: verum ea lex (vt dicebamus) non posset pro omni casu obligare, nisi supponeret id ex natura rei non licere, & tali lege satis declaratur rem ipsam non licere spectata rei natura. Et idèd, vt dixi, circa doctrinam Lessij, & Merceri, habeo maximam difficultatem, idèd viri docti indicent. Et nota hic cum Dicastillo numero 148. & 170. quod non requiritur obligatio cavendi ab aliquo opere, quo penitens, aut alij possint venire in talem notitiam, aut suspicionem facti ex confessionis scientia, sed sufficit ad hanc obligationem, quod in vniuersum, si scirent homines posse aliquando etiam casu, quo non veniret penitens, aut alij in talem notitiam, vti scientia ad faciendum, vel non faciendum aliquid quod ad ipsum penitentem spectet aliquo modo, haberent occasionem detrectandi confessionem, atque adeo non debere concedi vllum casum, etiam sine ea notitia, in quo aliquid tale fieri possit.

4. Hoc etiam fundamentum admittit Cardinal. Lugo num. 98. vbi expressè docet non solum obligari confessarium, quando est periculum quod penitens sciat, sed etiam licet id penitens ignoret. Nam vt rectè ipse ibi discurrens, redderet confessionem maximè difficilem, si sciret posse confessarium vti illa notitia occultè.

5. Itaque quamvis penitens non possit suspicari id quod erga ipsum sit, ortum habere ex confessione, sufficeret quod homines sciant peccata sola confessione cognita ius tribuere ad operandum ex illa notitia aliquando, ad hoc, vt homines timeant confiteri, & à confessione retrahantur, quod omninò vitandum est. Ergo non solum quando alij, aut ipse penitens id possunt intelligere in casu particulari, sed etiam si nihil tale intelligere vnquam possint, oportet pro bono Sacramenti esse tutos, quod talis notitiæ vltus non habeat locum.

Alibi in Ref. 6. Ex his apparet quod alibi notavi, & notat præterita, & Petrus à Sancto Joseph in idea Sacrament. cap. 31.

resolution. 11. vbi ait; Quod si superior per solam confessionem cognoscat aliquem ex suis subditis esse indignum officio quod exerceat, aut quod prosequatur; non debet illum à tali officio amouere, aut ei suffragium negare, si hoc fieri nequit sine reuelatione indirecta sigilli Sacramentalis. Imò est non se periculum aliquod reuelationis respectu aliorum; si tamen penitens suspicatus sit, se privati officii quod possidet, aut à consequendo repelli, propter peccatum in confessione manifestatum; superior non potest tunc vti scientia acquisita per confessionem, & infirriorem amouere ab officio, aut ei si suffragium denegare: tum quia hæc esset tacita exprobratio peccati in confessione auditi, quæ extra confessionem illicita est, siue fiat verbis, siue factis; tum quia hoc modo confessio redderetur valde onerosa; si quidem inferiores non audent confiteri superioribus ea peccata, propter quæ ab officiis suis merito possent amoueri.

7. Scio aliquos contrarium asserere, sed quid quid ipsi asserant, semper in mea sententia persistam in favorem Sacri Sigilli, & tribunalis Sacramenti Penitentiae. Et ita me citato nonnulli tenet Hermannus Busenbaum in Medulla Theologiae moral. lib. 6. tract. 4. cap. 3. dub. 1. num. 4. & ferè omnes Scriptores Societatis.

8. Sed hic pro curiosis apponam illud dubium: Confessarius scit ex notitia habita in confessione, quod quædam mulier nobilis, quando vocat confessarios in domum suam ad confitendum, sæpius illos sollicitat, quæritur an ab ipsa vocatus possit se excusare propter periculum labendi in peccatum, licet nullam habeat idoneam excusationem. Et negativè respondet Dicastillo, vbi supra n. 167. vbi asserit; Quod dictum est de periculo vitæ corporalis, scilicet nec propter illud vitandum posse aliquod fieri in detrimentum sigilli, habere etiam locum in periculo spirituali; ita vt licet ex confessione sciat sibi parari periculum spirituale, non possit propter illud vitandum aliquid tale facere, sed si aliter vitare illud nequeat, nisi aliquid operando, quod vergat in damnum sigilli, & beat sperare auxilium divinæ gratiæ, & se divinæ providentiæ committere, salvo in omnibus sigillo. Sed quia aliquando videtur esse intrinsecè malum si bire tale periculum, & in illius fuga posset videtur aliquid fieri contra sigillum, placet rem in subiecto casu declarare.

9. Sacerdos aliquis ex confessione nouit per se aliquam sibi esse scandalum, quæ vocat illum in domum suam, quasi ad confessionem, sed reuera in malum finem, quæritur an possit postulari negare, & nolle ire, sed se subdare, iturus alioquin, si id non sciret ex notitia confessionis? Non delinquit qui putent posse nolle ire, quia obligatio vitandi proximum periculum peccati iuris naturalis est. Alij putant debere adire, quia non licet vilo signo prodere penitentem; proderet verò, si nullam possit non eundi idoneam excusationem prætexere, id enim supponitur. Adde quod si ob id recusaret, iam aliquid ageret, aut committeret ex tali scientia, atque adeo non se gereret in externa gubernatione, quasi nihil sciret: ergo reuerentia Sacramenti, qua tenetur illius scientia non vti ad alias humanas actiones dirigendas, postulat, vt qui absque tali notitia esset iustus, tunc etiam ear.

10. Si casus admittatur possibilis ego libenter favor talem confessarium ob rationem dictam, & doctrinam hucusque datam, debere adire, & perinde ac que adire, si nihil sciret: & sperare posse auxilium diuinum. Nec illa notitia debet illum dirigere ad vitandum illud periculum; atque adeo non est intrinsecè

intrinsicè malum in iis circumstantiis tale periculum non vitare; tum quia non est intrinsicè malum tale periculum non cognitum subire, nec est mortaliter se exponere tali periculo, quando id non est notum subeunti; in eo autem casu, periculum non est notum; tum quia illa notitia est quasi non esset, in ordine ad operandum ex illa; tum quia eo ipso quod in reverentiam & honorem Sacramenti se exponit illi periculo; potest & debet sperare speciale auxilium tam antecedenter, ut firmiori proposito se munit, quam postea in ipso articulo occasionis, ut constanter, & fortiter superet tentationem; quæ omnia possunt magnam securitatem aut fiduciam præbere; imò propter hæc & similia potest iam ceteri illa occasio non proxima; etiam si alioquin in aliis similibus occasionibus expertus fuisset ruinam. Hucusque Dicastillus, qui ex parte pro hac sententia adducit Cardinalem de Lugo *vbi supra numero 116.*

RESOL. CCXV.

An Vocales nostræ Religionis possint licitè abesse à Capitulis?
 Et quid de Cardinalibus?
 Et quid est sententiam de Senatoribus, Consiliariis, & Decurionibus Civitatis?
 Et an Vocales peccet mortaliter, si se absterent à Capitulo quando solvet tractanda sit res magni momenti, ipse tamen scit concludendam esse, nec posse cum suo voto adjuvare, nisi illud dicendo inquietudinem, periculum notabilis damni, rixas, & notas singularitatis, & proterviam acquirere?
 Et quid est dicendum, si Vocalis rem iniustam concludendam ab aliis possit cum suo voto impedire? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 6.

§. 1. Quoad Senatores, Cardinales, &c. negatiuè respondet Paleotus de Sacro Consi. part. 5. q. 8. & 13. Garzias de beneficiis tom. 1. p. 3. c. 2. n. 525. in fine. Ioannes de Malderiaga de Senatu c. 28. §. 1. Azevedus in addit ad Curiam Pisanae lib. 2. c. 8 & Petrus de Ala tr. de Decur. q. 4. §. vbi sic asserit. Non accusantur quod multi alij conveniant, quia quod lex civilis, vel municipalis certo non nunquam numero Consiliario- rum contenta sit, non ad eam sensum detorqueri debet, ut arbitrari suo sine iusta causa possint Decuriones à consilio abstinere, præsertim quia quod legitimus numerus conveniat, bono potius eventui, quam præiudicæ rationi adscribendum est, quantum enim fuit in istis Decurionibus, res communes Civitatis non fuissent consultatæ. Sufficit ergo maior pars illorum, qui conveniunt ex l. quod maior ff. ad municipal. sed quod non omnes convenire debeant, hoc lex non dicit, imò cautam iustam requirit. Ita Ala.

2. Sed difficultas est quoad vocales nostræ Religionis, nam Peregrinus in commet. ad nostras const. p. 3. c. 9. lit. T. §. 23. n. 6. tam negatiuam, quam affirmatiuam sententiam probabilem putat, & pro negatiua adducit has rationes. Primò, quia vnusquisque potest renunciare favori suo. Secundò, quia non peccat contra iustitiam, quia non enim tenetur ex officio, neque contra charitatem, quia alij ad Capitulum accedunt, & possunt supplere; ergo, &c. Partem verò affirmatiuam probat, quia dicti vocales non interveniendo Capitulis, deficiunt in suo officio, ad quod de iure tenentur, ita ut si continuatè ter abint, forsitan ait peccare mortaliter, quia per trinum actum inducitur consuetudo. Hæc Peregrinus *vbi supra.*

3. Sed ut verum fatear, mihi affirmatiua sententia magis placet, & ideo assero vocales nostræ Religionis.

nis non posse pro suo libito abesse à Capitulo domus quod clarè probatur. Nam quando Capitulum generale vigore nostrarum constitutionum adscribit in vocalium numero personas dignissimas, non tam incidit præbere illis quandam dignitatem, & præminentiam quam imponere onus, & præbere illis munus, ut cum Præpositis cuiusque domus, vbi pro tempore manserint, negotia grauia, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ad commune bonum illius domus, & Religionis, non solum consultat, sed etiam decisivè tractant, statuant, & determinent, ut habetur in nostris constitutionibus, & Decretis. Vnde gubernatio nostræ Religionis magis accedit ad regimen Aristocraticum, quam Monarchicum. Ex quibus apertè apparet vocales teneri ex officio ad efficiendum omnia, quæ supra dicta sunt; nam præcipuum munus eorum est Capitulis assistere. Vnde idem Peregrinus p. 3. c. 9. lit. T. §. 13. asserit, quod vocalatus est officium, & vnusquisque tenetur suum officium exercere; ergo, &c. Nec valet dicere, quod Armilla *ver. electio, n. 20. Gutierrez in qq. canon. l. 2. c. 11. n. 187.* & alij communiter docent, quod electores, & canonici possunt renunciare voci suæ, & iuri suo, & sic aliquando faciunt nostri vocales; ergo signum est non teneri ad præbendum votum ex officio. Nam respondeo doctrinam istam esse veram, sed non procedere ordinariè, sed in vno, vel altero actu electionis, dummodo auctoritas providendi maneat apud eos, qui zelo non carent, & ita docet Garzias de benef. tom. 1. p. 2. c. 2. n. 533. & seq.

4. Restat modò respondere ad argumenta, quæ pro contraria sententia adducebat Peregrinus. Idè ad primum dico, verum esse, quod quilibet potest renunciare favori; & iuri suo, ut habetur in c. ex conscientia, de for. legiis, & notant DD. quos asserit Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 20. c. 9. n. 4. attamen hæc non procedit, ob oblatum Sanchi in sum. tom. 1. lib. 4. c. 39. n. 29. & latè Nouarius in qq. forens. part. 2. q. 66. n. 2. & seq. quòd illud jus, & favor, etiam est introductum in ordinem, & fauorem aliorum ut patet ex l. si quis in conscribendo, c. de pallis, & ideo asserit Suarez de legib. lib. 8. c. 33. n. 2. Tamburin. de iure Abbatum tom. 1. disp. 1. q. 12. n. 3. non posse aliquem renunciare privilegio sibi concessio, quod continet etiam ius alterius, cui per talem renunciationem præiudicatur. Sed totum hoc accidit in casu nostro; nam jus cui cederent vocales interveniendi Capitulis, vergeret in damnium Religionis, pro cuius servitio, & gubernatione, ut probatum est, vocales effecti sunt; ergo non possunt dicto iuri, & favori eorum cedere, quia continet ius alterius, cui per talem renunciationem præiudicatur. Vnde ex his docuit Sigismundus à Bononia de elect. p. 1. c. 2. dub. 25. n. 7. & Laurius in variis elucubr. tit. 4. c. 14. n. 87. quod fratres in electione discreti vocalis possunt renunciare huic iuri, & favori, dummodo talis renunciatio non redderet in præiudicium religionis, sed hoc accidit in casu, de quo loquimur; ergo, &c.

5. Ad secundum dico, quod, ut dictum est, hoc munus pertinet ex officio ad vocales, ad illud verò, quod alij in Capitulo assistent, patet responso ex Petro de Ala *vbi supra.* cui adde Garzias de benef. to. 1. p. 3. c. 2. n. 530. Dico igitur, quod licet onus, de quo loquimur, incubat vocalibus Capitularibus, non vt singulis, sed vt vniversis, id est, vt pertinent ad vniversitatè Capituli; & sunt pars illius, attamen vt parti Capituli manet vnique prædicta obligatio, alius si quilibet in particulari non teneretur assistere Capitulis sed possit abesse, alij etiam possent id facere, cum non sit maior ratio de vno, quàm de altero, & sic posset deficere bonum regimen Monasterij, & Religionis. Vnde Cardinalis Paleotus de Sac. const. p. 5. q. 13. sic asserit. Vnquemque, qui munus suscipit, debere cogitare, an illi satisficiat, non autem de aliis, quid sunt acturi; quid enim si reliqui idem

